



DE
RECTO
PACIS VSV
IN
ACADEMIA RESTITVENDA
ORATIO SOLEMNIS

HABITA
AB MAGISTRATV ACADEMICO

A. MDCCLXIII KAL. MAI
CVM ABIRET

IOACH. SAM. WEICKHMANN
S.S. THEOL. DOCTOR HVIVSQVE PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIVS SENATVS ECCLESIASTICI
ASSESSOR ET AD OO. SS. PRAEPOSITVS



VITEMBERGAE
IMPENSA ET LITERIS EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE TYPOGRAPHI

30

DE
RECTO
PACISVS

IN
ACADEMIA RESTITVENDA
ORATIO SOLEMNIS

AB MAGISTRATV ACADEMICO

A MDCCLXXIII KAL. MAI
CVM ABBATE

IOACH. SAM. WEICKHMANNI

S.S. THEOL. DOCTOR HVIVSQVE PROFESSOR
PABLIQVE ORATORIVS SENATVS ECCLIASITICI
ASSESSOR ET D. OO. SS. PRAEPOSITVS



NIEMERCKE
IMPENSIS ET LITERIS HERMANNI GOTTLIEBI FICHTENBERGII
ACADEMIAE TYPOGRAPHI

30



ILLVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO
D O M I N O
IOANNI GOTTHELF
A G L O B I G

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS AC
SERENISSIMI SAXONIAE PR. ELECTORIS AB
INTERIORIBVS CONSILIS ET PRAESIDI SENATVS
IN SAXONIA S. SVMMI

HANC ORATIONEM
PIETATIS INTERPRETEM SVAE

PRISCA OFFICI FIDE

D. D. D

MERITIS EIVS OBSTRACTISSIMVS

IOACHIM. SAM. WEICKHMANN D.

ILVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMOQUE DOMINO
D O M I N O
IOANNI GOTTHELF
A G L O B I G
POTENTISSIMI POLONIAE REGIS AD
SERENISSIMI SAXONIAE PR. ELECTORIS AD
INTERIORIVS CONSILII ET PRAESIDI SENATVS
IN SAXONIA S. SYMMI
HANC ORATIONEM
PIETATIS INTERPRETEM SVAE
TRIPLEX OFFICI
D . D . D .
MERITO SVIS OBTINENS
IOACHIM SAM. WEICKHMANN D.



ILLVSTRISSE DOMINE
STATOR LITERARVM
SAPIENTISSE



Quo plura sunt maioraque Praefidis Senatus Sanctioris ornamenta, cuius e providentia Sacrorum mundities, ac nitor liberalis doctrinae pendet, hoc vehementiore fuit gaudio Saxonia literata tum perfusa, cum crebri afferrent nuntii, TE, prudentissima Regis Summi uoluntate, ad gubernacula Confessus

):(3

Illustris

Illustris accessisse, qui religioni prospicit, ac studia diuinae humanaeque sapientiae ab omnibus temporum iniuriis defendit. Acclamationibus equidem publicis priuata omina faustaue adiunxi, quibus permotus, Deus, TIBI fortunaret honores, tam splendidos, quam magnos curarumque plenos. Mens enim mea respiciens spatium temporis praeteriti, tot tantasque uidit imagines Summorum Virum, ut horum luminibus nulla uideretur aetas finem allatura, tam diu splendentibus, quoad posteritatem meritorum, ab illis reportatorum, poenitere nequit. Quis non hodieque FRISIOS admiratur, oracula non Saxoniae modo, sed etiam Germaniae totius. Quis non GERSDORFFIOS sempiterna gloria dignos iudicat, eorumque in fedes Musarum prolixam uoluntatem ueneratur. Quis BVHNAVIORVM sollertiam delebit obliuione, qua castum Dei cultum, sine labe, artesque, quae ad humanitatem pertinent, sine contempione seruarunt. Quis HOLZENDORFFII comitatem non suspexit, cuius in uultu Gratiae federunt, neminem facile tristem dimittentes. Nolo de pluribus commemorare, in eodem fastigio collocatis, atque insignibus uirtutibus immortalitatem

tatem promeritis. Superest tamen, maximo Dei beneficio, ille, quem si tacerem, ingrati crimen animi turpissimum committerem. LOSII nomen demississima pietate profector, ac decora suspicio praeclarissima, beneficiorum memor, tam in me ipsum, quam in Vitembergam nostram collatorum. Quanta ille munificentia cultum fouit ingeniorum, quanta sollicitudine, prout ipse amat literas, Athenaeis harum tuendis prouidit, quantis cauit studiis, ne quid res sacra detrimenti caperet. Quo cupidius mecum boni omnes exoptant, ut praepotens numen hoc nobis Columen diutius concedat, omniaque ingrauescentis aetatis incommoda temperet. Exempla, tam gloriosa, cum TIBI semper ante oculos proponas, non solum ad intuendum, sed etiam ad imitandum, Praeses Indulgentissime, nihil nobis potuit iucundius accidere Regis optimi iudicio, quo TE uoluit Collegio tanti splendoris praeesse

Quae uoluptas sensibus nostris infigitur hoc altius, quod multiplicibus causis grauissimisque cietur. Nam, communi consensione, dotes TIBI tribuuntur, ad hoc dignitatis culmen non minus necessariae, quam ad fortunam secundissimam stabiliendam accommodatae. Omnium TI-

BI

BI uirtutum ponitur antiquissima Numinis sanctimonia,
eaeque ductus sententia, omnem cogitationem mentemque
in eo figis, ut pestilentes coerceantur errores, maiorum-
que doctrina, uero diuino conformata, futuris seculis tranf-
datur. Quam sentiendi grauitatem politoris humanita-
tis elegancia condire soles, probe narus, sine ea scientias
quaelibet in fordibus iacere barbariae, ingeniorumque lu-
men extinguere magis, quam augere. Nec tamen abhor-
res a philosophandi subtilitate, cuius amorem Manteuffe-
lii Illustrissimi consuetudo inflammauit, in quo, dubitarunt
multi, maiorisne facerent sapientiae disciplinam, an pru-
dentiae ciuilis sagacitatem

Sed magnas fecit accessiones uerecundiae erga TE
meae, eminentium uirtutum TVARVM choro commotae,
eius collaudatio sane quam honorificentissima, cuius TV
partibus amplissimis successisti. Vix enim socius Celsissimo
HOLZENDORFFIO fueras adiunctus, cum, quae
singularis eius fuit in me gratia, per literas, indulgentia
refertissimas, laetiam mihi significaret, qua gestiret,
quod TV, praeter alios, in societatem muneris grauissimi
uenires, suaeque consilia mentis TVAE perspicacitate iuua-

res

res. Causam gaudendi ponderis maximi interferuit animi
TVI magnitudinem, cognitam sibi perspectamque, quae
nihil, nisi quod rectum sit, et cum uirtute coniunctum, expe-
tat, egregioque publico seruiat unice. Neque ita multo post,
Ei cum in Lipsiensibus nundinis, anno huius saeculi quinto
et quinquagesimo, postremum clientis officium praestarem,
sponte atque ultro plurimis TE laudibus celebrauit, indo-
litque TVAE excellentiam semel confirmauit iterumque,
hoc unum ueritus, ut diu TVIS adiumentis perfrueretur.
Praefensit enim aditum TIBI ad gloriam tam felici successu
patere, ut honor unus sit alterius instrumentum futurus

Acerrimis igitur incitatus stimulis, occasionem quae-
rebam studiosissime, publico testimonio declarandi, quam e
praesidio literarum, TIBI imposito, caperem uoluptatem,
quantaque complecterer obseruantia praeclaras, quibus ex-
splendescis, uirtutes. Sed inciderunt tempora, cum toti pa-
triae luctuosa, tum Leucoreae praesertim nostrae fatalia,
meque diutius debere pignus obedientiae coegerunt, quo
minus mentis, TIBI deuotae, monumentum in lucem aspe-
ctumque hominum prodiret. Tandem mihi licuit esse
tam felici, ut TIBI coram, qua par est, cultus demissione,

):():

Acade-

Academiae nomine, ante aliquod tempus, apparerem, ani-
mique TVI robur, quasi ea, quae oculis uidentur, cernerem.
Hic TIBI me in perpetuum deuinxerunt mirificae suauitates
ingenii TVI, integritas morum atque comis affabilitas, probi
de studiis doctrinarum sensus, ardorque patriae commodis,
quibus fieri possit, modis inseruendi. Saepius ideo me re-
prehendi ipse, mihiq; ualde displicui, quod publicam uo-
luntatis dicatissimae significationem dederam nullam. At,
ipse recōdor etiam nunc, cum nuper Dresenae commora-
rer, me purgasti sermonibus TVIS blandissimis, generoso
animo conquestus, nihil TE aegrias ferre, quam, quod ea
tempestate ad sacram rem publicam literatamque gubernan-
dam accesseris, quae magnam facultatem eriperet, tot com-
moda procurandi, quot cupiditas TVA flagrans caperet.
Nunc uero redire uirtus audet, pace nobis reddita, et, cum
pace, otio liberali, quo Musae gaudent quietae, reducto

Hic diutius filere nefas puto, ac pectore premere desi-
derium TIBI restandi aliisque, cuius mihi, usque ad hoc
tempus, testis fueram locuples. Expergeficit profecto
omnes literis deditos Regis Munificentissimi in TE pro-
pensio, uix in Saxoniam reuersi, cum promerita TVA,

sbpA

XXX

uigi-

uigilantia TVA medios inter fluctus cumulata, praemiis
insignibus exornanda statueret. In Amicos enim Principis,
omni memoriae commendatissimi, receptus, sicut amplitu-
dine crescis, ita latior TIBI campus aperitur, de omni re
publica praeclarissime promerendi. Quid denique suauius,
mihi potuisset, quid commodius euenire opportunitate
praesenti, in conspectum TVVM illustrem ueniendi, ar-
que hoc animi gratissimi monumentum in sinu TVO de-
ponendi. Rex enim Augustissimus, terrarum suarum cala-
mitatibus intine compulsus, Ordines conuocauit omnes,
ut, uiribus coniunctis, uulnera patriae obligarent, ac pri-
stinos corpori prostrato neruos firmarent. Congregationi
tantae expectationis ut interessem, matris nostrae almae
fiducia fecit, qua me delegit interpretem, et doloris sui, e
tanta malorum turba percepti, et spei melioris fortunae

Dabis igitur ueniam, Dux Musarum Splendidissime,
ut ad TE uenerabundus accedam, in quem, concordia re-
uocata, cuncti in Saxonia Sacra Literataque animos oculof-
que conuertunt. In primis artium domicilia liberalium, si-
ue maiora siue minora, ad TE confugiunt, atque a confi-
liis TVIS superiora adminicula ornamentaque certissime

bre

):(:):(2

expe-

expectant. Ipsa Dei ciuitas opem TVAM flagitat, in bello non parum sollicita, nunc tranquillior, subnixta Dei praepotentis auxilio, TVA que fide freta

Sed omnium cupidissime ad benignitatem TVAM sese recipit, in eaque portum suum per fugiumque prospicit, haec omnis humanitatis officina, cui me coelestis providentia coniunxit, ad rerum diuinarum scientiam docendam. Haec, in cinere et squalore iacens, propugnationem TVAM defensionemque implorat, haec, haec, ab omni firmamento nuda, TVA cupit manu adiutrice corroborari, haec, prioris memor felicitatis, non sine lacrymis, confidit, fore, ut solatiis TVIS fomentisque in integrum restituatur. Praecipue luctu fere exanimatur, ubi salutis suae fundamenta disiecta uidet, atque insignia gloriae deleta, Templo disturbato, emendatis sacris per totum, qua patet, orbem terrarum florentissimo. Huius parietes vasti misericordiam TVAM, ad suppetias sibi ferendas, aduocant, nec Saxonia modo, integre sentiens, sed omnis coetus, Lutheri praeceptis imbutus, TE rogat, ut hanc aedem e cineribus suis excites. Meo quidem dolori condonabis, Domine Indulgentissime, quod pre-

precationibus his communibus meas coniungo, procurati-
oni sacrorum eius praefectus, TEque per omnia, quae
TIBI chara, quae sancta, quae religiosa sunt, obtestor, ut,
auctoritate TVA, quae plurimum ualet, interposita, cul-
tus diuinus quam primum reuiuifcat, qui tot gentibus ex-
emplum praebuit Dei, sine superstitione, uenerandi. Hu-
ius numen, quod omnia regit, opus, gloriae suae tributum,
secundo uitae TVAE, sine ulla offensione, cursu, remu-
nerabitur, aeternaque recordatione beabit. Aetas autem
futura, cuius incorrupto uigebis iudicio, perpetuis nomen
GLOBIGIVM monumentis mandabit; et, cum signa
imaginesque temporis iniquitas extinguat, haec Religio
TVA radices agat, florescet quotidie magis, ac per omnia
saecula propagabitur

Quidni sperem, Domine Optime, nondum cohorta-
tionum oblitus TVARVM, ne Vitembergam desererem,
cuius relinquendae semel iterumque conditiones non sper-
nendae mihi offerebantur. Quapropter omnibus contem-
do precibus, ut per TE mihi liceat munere perfungi rur-
sus, atque ad sacra, sicut par est, administranda redire.
Propositum tam pium, tam laudabile, eo succedet felicius,

andib

):():(3

quod

quod caeteri Principis Gloriosissimi Administri, redituum
praesertim Principalium Curatores, ei, conspirantibus suf-
fragiis, quod uero mihi cedit solatio, fauent, prompti parati-
que ad hoc ciuitati nostrae lumen iterum porrigendum.
Ipse Senatus ille sanctior, cuius TV Caput es, uoluntatem
propensissimam prae se tulit iuuandi laboris, quem sicut to-
tum summa prosequor reuerentia, ac, dum uiuam, profe-
quar, sic in memoria mea uersabuntur semper uenerabilis
Hermanni, summi Sacrorum in Saxonia Antistitis, pollicita-
tiones locupletissimae certissimaeque, atque illustris Leyseri
sponsiones, tam aliis uirtutibus, quam pietatis non fucatae
studiis, optimo cuique probatissimi

Habes, Stator literarum sanctissime Obseruande, sum-
mam obtestationis, hoc libello pluribus expositam, qui con-
tinet Orationem, a me habitam, cum me magistratu Aca-
demico abdicarem. Namque Deus immortalis immorta-
li me beneficio maerarat, ut, me quidem fasces tenente,
bellum componeretur, atque sedes literata recuperaret oti-
um tum, cum res conclamata uideretur. Nihil igitur
prius habui, nihil antiquius, quam ut Patres Ciuesque ad
magnitudinem gratiae diuinae, religiosissimis mecum lau-
dibus

Loup

1701

dibus, celebrandam flecterem, rectumque Pacis usum, quo
res ipsa gratos nos probaret, uariis momentis pondera-
rem. Aptene iudicarem, atque ad Academiae incolumi-
tatem recipiendam accommodate, TV iudex atque arbi-
ter sede, ac prolixissime accipe hoc pietatis erga TE
meae monumentum, tenue quidem, nec TVA persona
fatis dignum, non tamen penitus aspernandum, quippe
cum magni animi uoluntatem potius sinceram spectent,
quam uerborum copiam, aut muneris largitatem. Veni-
et fortasse dies, qua luculentius possim ostendere, me non
immemorem TVORVM in optimas artes ac disciplinas
meritorum uiuere. Nunc nihil mihi relinquitur, nisi, ut
uotis ac precationibus pro TVA TVORVMque manen-
te fortuna certem. Faxit tutela coelestis, ut TE Musage-
ta literae quam diutissime fruantur, TE propugnatore,
sacrorum castitas illibata foueatur. Coniugem TVAM,
omnia sexus sui decora suauissimo uinculo complexam, sal-
uam incolumemque tutetur, cuius consuetudine iucundis-
sima curas molestiasque mitiges omnes. Subolem TV-
AM,

AM, uelut arbores occulto aeuo, iubeat adolescere, ac
spem, de ea conceptam, compleat. Recreent Socrum e
tot aerumnis, strenue toleratis, officiiisque, Deo sanctissime
praestandis, caetera ornamenta illustrantem, Genti suae
quam longissime indulgeat. Stirpem denique BRVH-
LIAM, quae in tantum fastigium creuit, protegat, rebuf-
que secundissimis constanter, perfrui iubeat. Has, quam-
diu superstes fuerit, supplicationes suscipiet, de TVA in
se comitate persuasissimus

EXCELLENTIAE TVAE ILLUSTRISSIMAE
STATOR LITERARVM
SAPIENTISSIME

Virembergae Saxonum
Kal. Aug. MDCLXIII

dicatissimus cliens

IOACH. SAM. WEICKHMANN D.



RECTVS PACIS
VSVS
IN ACADEMIA RESTITVENDA



Quos ego fasces, curis plenus ac sollicitudinibus, prehendi, quod belli longioris calamitas omnibus fere fortunis nos spoliarat, ¹⁾ in summas angustias coniectos, necdum finem uideramus malorum, eos, Auditores, hodierno die, iam iam laetus hi-

A larif-

¹⁾ Ipsum quidem vitae genus nos ab armorum ui defendere uidebatur.

larisque Successori longe dignissimo trado, pace restituta, multo splendidiores. Superauimus, quae Dei est benignitas, pericula, e quibus nos tam breui liberatum iri, uix sperabamus. Sedatis fluctibus, ac tempestate iam commutata, prouehimur in altum, rursus commodis frui nostris incipimus, plura in posterum expectamus. At, quo maius beneficium nobis fuit diuinitus tributum, tum demum recte aestimandum, cum superiores iniurias comparamus, eo studiosius laborandum nobis uideretur, ut illud quam optime collocemus. Sunt enim benefacta, sicut

Enni-

tur. Constat enim inter omnes Iuris naturae gentiumque doctores, illis parcendum, quorum uiuendi modus ab armis plane abhorreat.

Quid uero Musis pacatissimis cum Marte feroce. Quapropter Grotius sanctos uult in bello haberi, qui studiis literarum honestis, et humano generi utilibus operam nauent, de Iure belli et pacis III.

II. n. 10. Seneca uero, laudaturus otia Philosophiae generatim, haec, inquit, *literae non dico apud bonos, sed apud mediocriter malos, infularum loco sunt.* Ep. XIV. Quod quam uerum sit, Alexandri M. in Pindari genus elementia docet, cui in communi Thebarum peperit incendio. Dio Chrysofom. de regno II. p. 25. Nobis autem tantum dignitatis literae non conciliarunt, ut aduersis per fugium praerberent. Immo uero omnis bellatorum impetus in nos incurrit postremo, nosque ad incitas, postulationibus uix ferendis, redegit, satis obsidione fatali prostratos, omniumque miserationi commendatos

Ennius ²⁾ cecinit praeclare, malefacta, ubi male locantur, et plus publicae priuataeque saluti nocent, quam ad ueros fructus redundant. Ingrati crimen animi, ut quisque maxime uirtuti studet, ita quisque uehementissime horret, ut in quo uitio nihil mali non reperitur. Sed, eo se contaminant, quotquot bona, in se collata, negligunt, neque iis ad cumulatiores opportunitates utuntur. Illi uero, qui nostrae seruiert saluti, maleficio turpissimo deterrentur, quo minus opes profundant in posterum, ac bona malis compensari patiantur. Immortale Numen ipsum, quamuis turba ingratorum, ab liberalitate effusa, non auocetur, eos tamen postremo deserit, in quibus spes gratiae mentis

A 2

praeci-

- 2) a Cicerone laudatus de offic. II. 18. ubi monet, in deligendis idoneis, quibus beneficium tribuamus, iudicium ac diligentiam adhibendam. Stagiritis iam nomine liberalitatis glorioso priuat eum, qui dederit indignis IV. ad Nicom. I. *ὁ δὲ δίδους, οἷς μὴ δεῖ, ἢ μὴ τοῦ καλοῦ ἕνεκα, ἀλλὰ διὰ τινὰ ἄλλην αἰτίαν, οὐκ ἐλευθέρως, ἀλλὰ ἄλλος τις ἐηθήσεται.* Qui dat, quibus dandum non est, uel non honesti gratia, sed alia quadam causa commotus, non est liberalis, sed alius quidam nominandus. Itaque ne quis discat prodesse improbis, exemplo colubrae, sinu foetae, ac breui pestiferac, docet, ei, qui ferat malis auxilium, post tempus dolendum, Phaedr. IV. fab. 18

praeciditur. 3) Contra ea munificentiae ueneratio ad plura maioraque largienda allicit, et, sicut indolis bonitatem significat, ita iustis honoribus, quibus liberalis uoluntas afficitur, non potest non magnopere placere. Tanto detestabi-

3) Pleni sunt sapientum libri de turpitudine ingrati animi, conspirantium in eo, quod est apud Syrum, *omne dixeris maledictum, cum ingratum hominem dixeris*. Seneca quidem, auctor de hoc loco classicus, hominum negat obliuione ac malitia nos deterreri debere, quo minus largiamur. Afferit, de Beneficiis VII, 31, pulcherrime Deorum exemplum, qui beneficia ignorantibus dare incipiant, ingratis perseuerent. Reprehensiones horum perstringit, quibus uel utilissima Deorum beneficia carpant. Nihilominus optimorum parentum instar, qui maledictis suorum infantiam arrideant, Deos ostendit non cessare beneficia congerere, sed, aequali tenore, bona sua per gentes populosque distribuere, spargere opportunis imbribus terras, maria flatu mouere, siderum cursu notare tempora, hiemes aestatesque, interuentu lenioris spiritus, mollire, errores labentium animorum placidos ac propitios ferre. Quae quamuis ingeniosissime persequatur, ingrati tamen animi crimen inde non miuit, in quod *de Benefic. I. 10* sic inuehitur. *omnia uitia ab ingrato animo sunt, sine quo uix ullum magnum facinus accreuit. Hoc tu caue, tanquam maximum crimen, ne admittas.* Ideo Deus, desperata hominis sanitate, tanto maiores infligit poenas, quanto plura beneficia cumularat. Quae gens Deo charior Israelis posteritate, in quam omnes benignitatis suae opes effudit. At quae gens hodieque laboriosior, diris ingratae mentis a Mose deuota, diuino carmine, quo uale ei conuocatae dixerat

stabilior contemptio beneficentiae uideretur, cuius copiae
 fecleratos inflammant, ad flagitia grauiora audenda. Quod si
 spes impunitatis libidinem ad frena laxanda satis impellit,
 quid non tentabit scelus, ubi, mercede proposita, incita-
 tur, nulla rerum diuinarum humanarumque habita ratio-
 ne, et labefactatis rei publicae omnis fundamentis. Ge-
 rit igitur uir bonus Ciceronis animum, cum primum be-
 neficio obstringitur, et, cum uirtutibus omnibus se cupiat
 affectum, tamen nihil est, quod malit, quam se gratum esse,
 et uideri. Hanc enim unam uirtutem, non solum maxi-
 mam, sed etiam matrem uirtutum omnium reliquarum
 sentit 4)

A 3

Qui-

- 4) Grauisime hunc locum doctissimeque perquisiuit Theologus immor-
 talis Verpoorten in Programmate, de uirtute grati animi, e scriptura
 et profanis auctoribus. Res ipsa, percentendis summorum officio-
 rum generibus, nullo negotio constat. Cur Deo sunt officia omni-
 um maxima praestanda. ille enim nos maximis beneficiis prouoca-
 uit. Secundum Deum cur Principi plurimum debemus. Nemo
 nobis hac in uita ampliora bona procurat, Patre patriae sapiente ac
 benigno, cuius praesidio tranquillam quietamque uitam degimus.
 Cur parentes merito suo praecipua sunt charitate prosequendi. Ab
 ineunte aetate nos susceperunt, aluerunt, defenderunt. Sicut igitur
 a flagitio animi ingrati scelera quaeuis proficiscuntur, numinis con-
 temptio,

Quibus autem studiis haec praestantissima uirtus comprobabitur. Quibus decoribus clarissime exsplendescet. Si omnem nauat operam, ut, quod ipsi benigne fuit factum, in rem suam aliorumque conuertat. Etenim consilia uoluntatis, ad dandum propensae, sine uana ostentatione, huc referuntur omnia, ut aliis, quibuscunque fieri possit modis, subueniat, quo ad negotia, publice priuatimque fructuosa, feliciter peragenda, paratiores alacrioresque redantur. Diuinum profecto Numen quoties suas elargitur opes, non utilitatis suae studio, cuius nihil indiget, unquam permouetur, sed humanam uult excitare operam, ut nihil praetermittat, quod sibi aliisque conducat. Parimenti agitatione ducitur is, qui maiestatis diuinae splendet imagine, in administratione rei publicae gerundae munificus ac liberalis. Iacit igniculos uiriles, quibus illi inflammentur, ad omnes uitae ciuilibus partes pro dignitate administrandas. Hic animis opus, hic diligentia nunquam remissa, quando, superiore tempore, collapsa fluxerunt omnia, ut prope ex ipsis fundamentis sit res publica excitanda.

temptio, seditiones, parricidia, aliaque generis eiusdem, sic gratus animus uirtutes parit omnes

da. Talis est facies huius urbis, talis Academiae forma. At uulnera, quae coaluerunt aliquantum, sanari malim, quam tristi recordatione facere, ut recrudescant. 5) Vultis, Auditores, industriae nostrae Vobis imaginem proponam, eam mihi Maro facile suppeditabit. 6) Nouam condunt urbem Tyrii, sedibus pulsi suis, atque inter sese cupiditate flagrant, illius quam primum ad culmen perducendae. Quibus incitati stimulis urgent opus, instant, feliciter perficiunt. Pars ducunt muros, et manibus saxa subuoluunt, arcemque moliuntur. Pars locum recto aptant, aedificiumque describunt. Hic portus alii effodiunt, alii

5) Quisquis uolet tristi memoriam spectaculi renouare, hunc rogamus, ut illustris Trilleri nostri legat elegiam, dulcibus lamentationibus in animos influentem. *Wittenberg im Feuer den 13. Octobr. 1760.* Inde cognoscer, nec, nisi ferreus est, sine lacrymis, quantis nos fuerimus aerumnis pressi, quorum uibices longa posteritas uix obliterabit. Sed simul sensum humanitatis acuer, ad opem miseris ferendam, nulla culpa sua in tantam pestem coniectis

6) Aeneid. I. u. 427 fqq. De similitudinis uenustate plura dicere nihil attinet. Saepius sane miratus sum, Scaligerum, in Poeticae institutione, comparationes Poetae cum animantibus, satis copiose, ac saepe nimium laudantem, hanc imaginem, nitidissime expressam, praeterisse. Sed lineas omnes non perlustrabis, nisi, quod saepe in poetis fieri debet, collato Plinio hist. nat. XI. § 1 fqq. Nec poenitebit consuluisse Spectacle de la Nature Tom. I. colloq. V

alii alta theatris fundamenta locant. Cuncti certant la-
boris aemulatione, ut oppidum prodeat amplissimum pul-
cherrimumque. Quod certamen honestissimum Poetam in
se totum conuertit, atque ad apum rem publicam, ab ipso
in Georgicis, lectissimis uerbis ornatissimisque sententiis,
illustraram, subito ducit ut apes aestate noua, per florea
rura, labor sub sole assiduus exerceat, cum gentis adultos
foetus educant, cum liquentia mella stipantes, dulci necta-
re cellas distendant, cum onera redeuntium excipiant,
cum, agmine facto, ignauum pecus, fucos, a praesepibus ar-
ceant, ut opus seruent, mellaque fragrantia thymo redo-
leant, sic exules Tyrios summa contentione praetermittere
nihil, quod domicilium rerum fortunarumque suarum sta-
bile fixumque parer, omnibus copiis referissimum. Quid
mirum, si, uidens Aeneas ardorem ingentem, exclamat, *o
fortunati, quorum iam moenia surgunt*

O fortunatos nos, haec imitatuos exempla, ad Vi-
tembergam in pristinum restituendam. Video, sensim pe-
detentimque, eam e cinere sordibusque renasci, ubi, con-
iunctis, ciues, animaduerto, uiribus, explere uacua loca
uelle, materiam, calcem, caementa, comportare, undique
arcessita,

arcessita, dignitati, non necessitati soli, studere, legibus firmatis, ordinem reducere, cunctos inter se consilii factifque iuuare. Video hanc literatam societatem, belli turbis disiectam, sparsa recuperare pignora, et, quasi reddita iuuentute, reuirefcere. Hoc agamus modo, Auditores, ut, tranquillitate recuperata, deliberemus mature, quibus instructi praesidiis, ad temporis praeteriti ornamenta reuertamur

Equidem, uenia Vestra, summatim genera exponam, ac, de RECTO PACIS VSV IN ACADEMIA RESTITVENDA, nunc uerba faciam. Vos, Patres, Ciuesque, iudicate postea, num uiae persequendae sint, si peruenire ad metam uelimus, ad quam optimus quisque contendit. Quodsi flumen orationis, eleganiaque dicendi, quam aliis facile concedo, me deficiet, at non committam, ut animum, ad augenda patriae commoda promptum, ac precum religionem, quibus successus Vobis prosperos impetrem, desideretis.

SI RECTVM PACIS VSVM diligenter mecum

B

reputo,

reputo, in tribus eum partibus positum, reperio. Quae belli impetu prostrata iacent, sunt excitanda rursus. Perurbatio rerum omnium, comes armorum ac focia, in ordinem redigenda. Incrementa societatis imminutae propaganda. Ruinas nostras quis non uidet, quis non adhuc acerbissime lugeat, quis non omnibus modis releuandas censet. Sed nulla dignior subsidiis nostris illa, quae Academicam aedem sic disturbauit, ut, praeter parietes, perfractos satis, parum superstit. Hi industriam flagitant nostram, nobisque Dei religionem et sanctimoniam, in Patres Maioresque gratum animum, Academiae splendorem, ac Posteritatis iudicium feuerum in memoriam reuocant. Iure meritoque summam rationem Iurisperiti uocant, quae faciat pro religione, 7) quaque permotus coetus Christo fa-

cer
 7) Quanta pietate Iurisperiti, quauis data occasione, seruierint religioni, pulchrius nemo disputat Gutherio de Iure Manium III. 29 ubi beneficium religionis ab loci religione discernit. Recte praecipit, loci religionem non ad mortuos tantum pertinere, ex Vlpiani mente, sed intelligendam de loco sacro simul ac religioso, cuiusmodi est aedis nostrae religio. Ad talia qui confugerant loca, uocari in ius, trahi aut rapi non potuerunt, ne plura cumulem honorifica
 de

cer, antiquitus, Templum in maximo habuit pretio. Quam existimationem locorum, cultui diuino dicatorum, nihil opus est pluribus persequi, a Guiljelmo Cauco, in Primitiyo, quem uocat, Christianismo, doctissime tractatam. 8)

B 2 Ipsae

de religione iudicia. Nec uero mirandum, Iurisprudentiae deditos tantum religioni locorum tribuisse. Hanc enim in aeternas leges retulerunt, animis omnium insitas. Testimonium praebet luculentum Cicero, *de inuent.* II. 53, ubi, quid ius naturae puter, hanc in sententiam docet. *Natum ius est, quod non opinio genuit, sed quaedam uis innata inseruit, ut religionem.* Statim, in quo religionem ponat, subiungit. Religio est, *quae superioris cuiusdam naturae, quam diuinam uocant, curam caerimoniamque affert.* Itaque iure Romanorum publico, quo summa res publica regebatur, etiam ius sacrum, seu Pontificium continebatur, sicut idem Gutierrez de Iure Pontificio I. 2. dilucide exponit

8) Equidem non ignoro, fluxisse hanc reuerentiam templorum maximam partem e templo Hierosolymitano, in quo Numen singularis praesentiae documenta dederat insignia. Neque later, quid e Theocratia, hanc in sententiam, dici possit, quod fuit a multis non satis obseruatum. Sedit enim maiestas Dei in templo, atque inde praefertim populi salutem consiliis sapientissimis gubernauit. Hinc multis promissionibus aedes Hierosolymitana caeteris praestat omnibus. Quoniam uero, quae Dei est benignitas, congregationibus hominum, suo nomine coactis, sese praesenti ope promissit affuturum, in templa autem, Dei colendi causa, conuenitur, quin praecipua sint facilitate celebranda, eximia cum diuini praesidii fiducia, quis dubitet

et. VI. AN. (2)

Ipsae gentes profanae locis sacris insignem tribuerunt honorem, quem Ioannes Gregorius, Anglus, in Obseruationibus, exemplis commemorabilibus illustrauit. Itaque nihil prius putarunt, nihil antiquius, quam ut ea, in cinerem conuersa, quanta pulchritudine possent, rescicerent. Ex innumerabilibus documentis, unum feligam Capitolium, ab Rycquio, copiosa lectione, descriptum. Hoc ter incensum, ter fuit renouatum, splendore semper maiore. Nam post incendium primum, seu culpa seu dolo factum, restituendae Iouis aedis curam Sulla dictator suscepit, sed non perfecit usque eo, ut dedicare posset, quod unum felicitati eius negatum uidebatur, Plutarcho iudice, in uita Sullae. Retulit igitur Q. Catulus hunc honorem, ut nomen eius in Capitolino fastigio fulgeret, nullo decore praetermisso, quod ad huius templi splendorem pertineret. Igne postea consumptum in bellis ciuilibus Vitellianis, Vespasianus refecit, eximia quadam religione, a Tacito grauissime disertissimeque declarata. Praetor enim Heluidius Priscus, praeeunte Pontifice, praesides imperii

Deos

9) Hist. IV. 53

Deos precatur, uti coepta prosperent, sedesque suas, sanctitate hominum inchoatas, diuina ope attollant. Vittis deinde, quibus lapis ligatus, innexique funes erant, contactis, magistratus caeteri, et sacerdotes et Senatus, et eques et magna pars populi, studio laetitiaque flagrantés, saxum ingens trahunt. Passim fundamentis argentei numi aureique iniecti, cum metallorum primitiis, nullis fornacibus uictis, prout gignebantur. Postremo altitudo aedibus adiecta, spatiumque dilatatum, quod prioris templi magnificentiae defuerat, quo tanta saepe uis hominum capi debebat. Adeo superstirio certauit, ne quid de Capitolii sui dignitate minueretur. At omnium superauit studia Domitianus, post notam deflagrationem, statim a Vespasiani decessu, ac tanta firmitate amplitudineque opus peregit, quanta nunquam antea floruerat. Quid Principis ambitio, nominis aeterni stimulis incitata, molita fuerit, uel impensae demonstrant, quibus, in templo modo inaurando, duodecim millia talentorum consumpsit. In numis, quanta gloria urbium *Νεωκώ-
γων*, quae Templi cuiusdam curam gerebant singularem,

B 3

sibi

sibi tutelaribus, ab Ioanne Vaillantio et Seguino, ex aere pri-
fco, magna multitudine conquisitae, in Actibus Apostolo-
rum, Ephesiorum studiis celebratae, atque ab Alberto Ru-
benio, ex instituto, traditae ¹⁰⁾

Inde nobis, quod imitemur, capiamus, Auditores, cu-
piditate tanto uehementiore, quanto illustriore sanctitate
uiget templum sacris nostris destinatum. Vagatur enim per
ora omnium, quod ex eo uerbum Dei, Lutheri ministerio,
e tenebris in lucem fuit rursus protractum, ut omnium
aedium, castiori cultui consecratarum, haecce Parens me-
rito suo nominetur. Qua de causa sic nos alloquitur omnes,
flebili uoce, sed non indigna, quae alta mente reponatur.
Nolite, o mei, stragem meam negligere, quam fecerunt illi,

¹⁰⁾ Summam rei contrahunt Ephemerides Parisienses literarum bella-
rum Tom. I. diss. 4. comparatis inter sese Vaillantii et Valefii studiis.
Multa quoque, lectissima humanitate, congeffit Ant. Van Dale in dis-
sert. marmor illustr. inseru. diss. 1 V. de Neocoris sacerdotibus, atque
urbibus Neocoris. Ex hoc disces, tales urbes hoc nomine insigni-
tas, quae uel templi cuiusdam coram gererent singularem, uel, fa-
cultate Senatus Consulto concessa, pro Romani imperatoris salute
sacra procurarent, aedificarent templa, spectacula uarii generis
ederent.

*a quibus tantam acerbitatem expectasset nemo. Nam Socio-
rum est, iuuare, non affligere, liberare, non perdere, cum
hostibus dimicare ac moenibus, non aedibus ac templis. Sed
ira Numinis factum est, ut contemptio mei, emendataeque do-
ctrinae, his poenis afficeretur. Nam, si quis est locus, qui
parui pendit beneficium diuinum, quod e parietibus meis per
tot populos dimanauit, haec profecto urbs, quae gratias de-
bit immortalis, omnium maxime, a pietate sua discessit.
Prouidentia tamen altior, quae me caeteris Templis omnibus,
prodigio ingenti, praetulit, spectaculum sordium, atque lu-
ctus, et tanti squaloris praebere non sinet. immo uero e ruinis
excitabit ampliorem, iniquissimis in ruborem datis ludibriis,
quae furor, superstitione percitus, ut fama tenet, euomuerat.
Vos modo, quos Neunögous constituit, officio satisfacite uestro,
meque in uestram fidem recipite*

Recipiamus uero eam in fidem nostram, ut sic Maio-
rum meritis nostrorum referamus gratiam, eam dum habe-
mus. Summa quondam cura gentes bene moratae in se-
pulchris suorum tuendis uersatae sunt, ut supremum hunc
mortuis

mortuis honorem tribuerent. Iacobum saltem Gutherium de iure manium lego nunquam, quin ueterum mirer sensum humanitatis, in hoc iure communi seruando, quem mansuetudinem, communis naturae miserationem, fortis humanae commercium, humanae conditionis memoriam, clementiam, iustitiam, opus benignum, pietatem, eximieque, Religionem, uocant. Itaque Tullius de legibus ¹⁰⁾ mortuis, testatur, Romanos iura attribuisse religiosissima, quae tamen monumentis pleraque contineantur. Vlpianus autem, interdictum Praetoris, de sepulchro aedificando, reficiendo, perficiendo, ea mente propositum iudicat, quod religionis intersit, monumenta extrui, exornari. Iudaeorum praecepta, diuinis conformata oraculis, sepulchrorum dignitati studiosius consuluerunt, ut reliquiis corporum, uirtute praepotente, olim in uitam reuocandorum, iusta soluerentur, a Geiero, *de Luctu Ebraeorum*, excellenter enumerata. ¹¹⁾ Iam tanta privati existimatione tumuli florebant, ut

¹²⁾ C. VI. §. 10. sqq. in primis p. 129 affert rationem, quam ob rem

¹¹⁾ II. 22., ubi de sepulchris sic agit, ut Graecos cum Romanis scire comparet

¹²⁾ C. VI. §. 10. sqq. in primis p. 129 affert rationem, quam ob rem

ut apud Athenienses perpetua flagraret infamia, magistratibus omnibus exclusus, qui parentum lapides sepulchrales neglexisset. 13) Sed sepultura publica, nihil honorificentius, nihil ad memoriam sempiternam commendatius, nihil, de quo, ab interitu prohibendo, uehementius laboraretur. Maiores, idem Cicero testis est, statuas multis decreuerunt,

rem Iacobi posteritas tanto numero sepulchra habuerit. Eam reddit ex appellatione, qua בית החיים loca uiuentium dicta sint. Sicut enim conscelerati, uiui quamlibet, mortui merito censentur, ita iustos mortuos in uiuis numerandos, quod animo semper uiuant, corpore reuiuiscant olim. Ita numen non mortuorum, sed uiuorum Deum gerit

13) Auctor est Xenophon Memor. Socr. II. n. 66. *Νῆ Δία, εἴαν τις τῶν γονέων τελευτησάντων τοὺς τάφους μὴ κοσμήῃ, καὶ τὶτο ἔξετάξῃ ἢ πόλις ἐν ταῖς τῶν ἀρχόντων δοκιμασίαις.* Per Iouem, si quis parentum defunctorum monumenta non ornarit, hoc quoque ciuitas inuestigat, in Archontum exploratione. Nam prius, quam crearentur Archontes, partim in senatu, in foro partim, mores eorum totiusque uitae ratio peruestigari solebant. Peruestigatio in Senatu ἀνάκρισις, in foro δοκιμασία nuncupabatur. Ecquid tandem praeter caetera animaduersione dignum uidebatur. Ornamenta parentum sepulchralia, a Xenophonte eodem uerbo notata, quo Matthaeus XXIII. 29, Pharisaecrum narrat studium iustorum hominum monumenta ornandi. Quae quidem ornamenta quo pertinuerint apud Graecos, ex Pottero pete in Archaeologia Graeca T. II. p. 181

uerunt, sepulchra publica paucis. Statuae intereunt tempestat e, ui, uetustate, sepulchrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla ui moueri, neque deleri potest. Atque, ut caetera extingui solent, sic sepulchra fiunt sanctiora uetustate. ¹⁴⁾ Qua adducti sententia Romani, claras mortes imperatorum tum demum iustis ab se honoribus condecoratas crediderunt, cum, publicis in tumulis, ad memoriam posteritatis sempiternam, reliquiae eorum seruantur. Cadunt ad Mutinam, pro re publica fortissime dimicantes, Hirrius et Panfa, consules, eaque patriae charitate, tantam consequuntur gloriam, ut eorum corpora, Romam perlata, in campum Martium efferantur, locum sepulturae honorificentissimum. ¹⁵⁾ In prouinciis autem, collata pecunia, certare cuncti consuerunt, ut uiris, optime meritis, iusta splendidissime fierent. ¹⁶⁾

Quae cuncta maximam in animis nostris permouendis uim habent necesse est, ut Academicae aedi, omnibus modis altius tollendae, studeamus. Hic ossa quiescunt Principum

Saxo-

¹⁴⁾ Philippica IX. 6

¹⁵⁾ Florus Epitom. 119

¹⁶⁾ Commemorat Gutherius l. c. p. 395 ex inscriptionibus priscis uectigales, quod stipem ciues omnes ad sepeliendum numerassent, Eodem spectant siglae L. D. D. D. locus datus decreto decurionum

Saxoniae, uirtutibus suis eminentissimorum, et, quod maioris est, de emendatione sacrorum immortaliter promeritorum. Hic situs est ille, qui, diuino armatus spiritu, opus confecit, post hominum memoriam maximum, Pontifice de folio deiecto, de quo eum deturbare ausus est tam feliciter nemo, opus, sine quo haec Academia tantum splendorem fuisset nunquam consecuta. Hic Philippi corpus contegitur, communis Germaniae praeceptoris, cuius ingenio artes, quae ad humanitatem pertinent, superiores scientias, uinculo pulcherrimo coniunctas, poliuerunt. Hic tranquillum capiunt somnum, tanta multitudine, Viri, omnium ordinum amplissimi, ornamenta non huius modo Pindi, sed etiam totius orbis, literis bellis exculi. Demus igitur hoc tantorum gloriae Virum, aedisque rationem ducamus praecipuam, quae corporibus eorum requiem, tanquam cubile, praestet, ne, quod eorum superest, turbetur, sed terra leui perfruatur, nisi forte uelimus a profana pietate uinci, cuius qui fuerint sensus, Romanae parens eloquentiae ibidem declarat. *Augendi uel post obitum uidebantur omni honore uiri, quibus nullus honor tribui non debitus poterat. Grati nolebant cenferi in eorum sepulchris decorandis, quibus nul-*

lam iam aliam gratiam referre poterant. Quodsi nos
 Maiorum decora parum mouent, mouebunt autem,
 dubitare nolim, at ipsius Academiae splendor uolun-
 tates nostras impellat, cum huius Templi praestantia
 coniunctus. Namque, in eo sacra procurantur Aca-
 demica, orationibus habendis, quibus doctores uestri do-
 ctrinam Lutheri iuuentuti transfundunt, ipsorumque iu-
 uenum ingenia mature exercentur, ¹⁷⁾ ad eloquentiae
 sanctioris facultatem. Ibidem statae solemnesque ceri-
 moniae celebrantur, atque actibus publicis ipsa Religio
 maiorem conciliat auctoritatem. Nos omnes quanta,
 quaeso, reuerentia hic locus, Deo sacratus, compleuit,
 quoties Academiae gubernacula, in ipso Numinis summi
 conspectu, permutabantur. Peregrinatores autem, quos fe-
 re nihil aliud Vitembergae morabatur, magna multitudine,
 ad

¹⁷⁾ Quotidie quondam haec in aede conciones fiebant, in quibus uel
 sanctiorum literarum doctor quidam uerba faciebat, uel iuuenes
 exercitatione dicendi uires periclitabantur, in collegia honestissima
 confociati, quibus Praepositus solebat praeesse. Dicitur non potest,
 quantum bonae frugis hoc ex instituto, bene curato, redunda-
 rit, non, nisi hoc sacro domicilio reddito, recuperandum. Nam-
 que parum ualent omnia dicendi praecepta, nisi consuetudine dicendi
 exercitata, in facultatem uertantur

ad hoc sanum confuebant, opere tantae molis, tantaeque utilitatis splendidissimum. 18) Reformidemus denique incorruptae Posteritatis iudicium, quae nullam negligentiae ueniam dabit, si diutius haec religionis purioris sedes iacuerit disiecta. Nam, quoad suus sacrorum munditiei honor stabit, stabit autem ad huius orbis terrarum interitum, etiam loci huius uigebit memoria continuata ac perennis, unde notum mundo lumen illuxit. Hostes autem coetus nostri, quorum asperitas ei non pepercit, plurimos tollent cachinnos, quod Templum, sibi tam inuisum, in-

festum.

18) Ipse Carolus V. nihil habuit prius, antiquius nihil, occupata Vitemberga, quam, ut in hanc aedem se conferret, monstratumque Lutheri sepulchrum turbari uetaret. Eius autem cerimoniae, tantum auit, ut imperatori displicerint, ut eius animum magnopere lenirent. En locuples Razenbergeri testimonium, scriptoris aequalis, quod legas licet apud Reu. Grofchium *in der nothwendigen Vertheidigung der Evangelischen Kirche* p. 61. *Der Kayser ließ durch die seinen auf die Kirchenordnung und Ceremonien gar eigentlich und fleißig Achtung geben, hat aber im Werck und Warheit erfahren, daß es mit denselben allenthalben weit ordentlicher und christlicher geschaffen waere, denn wie es Ihm die Feinde des Evangelii vorgebracht, und eingebildet.* Neque Carolum XII feruoris impetus, quo concitatus exarsit, retinuit, quo minus hoc templum uiferet studiosius, ac per partes omnes transiens, miraretur. Innumerales alios sileo, eius spectatores, insignis dignitatis, ac testes religionis, illius contemplatione auctae

festumque inflammant, exciderint, functarint adeo, ut
 construi rursus non posset

Ignoscetis, Auditores, mihi, forsitan in Aedis, fidei
 meae commissae, laudatione nimis copioso. Nam, quo
 plures mihi lacrymas eius uastatio expressit, quo gemitus
 altiores eius parietes nudati mouerunt, quo segniores mul-
 ti, inuidiae stimulis acuti, eius uastitatem praetereunt, ne
 nomine commemorato quidem, ubi Vitembergae calami-
 tatem lugent, immo uero, quod minus potest excusari, stu-
 diis eius refarciendae, quantum possunt, obfistunt, eo cu-
 pidius hanc occasionem, publice, Vestram opem implo-
 randi, non dimittendam putauit. Iungamus, Patres, ui-
 res omnes, ut aedes redeat in pristinum, ubi summum
 Dei beneficium cohonestare praedicationibus decet, ubi
 maximorum hominum ossa conquiescunt, ut ipsius Acade-
 miae dignitas augeatur, uenturi seculi spes firmetur, aduer-
 sariorum ioci risusque refrenentur

Hoc initio facto, reliqui conatus succedent melius,
 collegia nostra partim detergendi, partim incendio dele-
 ta reponendi.

Quam tristem nobis aspectum praebet
 domus illa, ubi sanctior quondam Senatus conuenit, ubi
 Iuris

Iurisperitorum consilia sunt habita, ac disputationes celebratae, ubi tabularia nostra publica documenta custodiuerunt. Soli supersunt muri, ac miserabilem memoriam superioris splendoris seruant. Caeterae uero sedes humanitatis, Augusti munificentia ac Friderici constitutae, quando suas tandem fordes eluent. Musas enim pepulit horribilis Libitina, ac tot miseriae militaris uestigia impressit, ut animus horreat meminisse corporum mortuorum stragem, fores acroateriorum nostrorum claudentem, quoties disputationibus solemnibus interesse uolebamus. Hae nobis sunt maculae purgandae, hae notae funestae remouendae, ut mundities pristina redeat. Quam quidem curationem **RECTVS PACIS VSVS** nobis quoque imponit, ne, in tanta aedificiorum paucitate, ciuibus aduentantibus Mufae desinat commoda, illis praesertim, qui Regiis beneficiis nutriuntur, aliisque inopia pressis. Sic, quae Martis uis deleuit, sensim redintegrabuntur. Sic ipsius urbis huius ornamenta crescent. Sic magnificentia Principalis, aedibus nostris illustrata, rursus efferet se, ac reuifcet. Sed, quor-

quorſum domicilia, nitidiſſima quamlibet, ab incolis niſi habitentur, quos boni mores ornent, ne domo dominus, ſed domino domus honeſtetur. Alias domus ampliſſima dedecori magis ducitur, quam honori, ſi uel in ea ſolitudo reperitur, uel olim a praetantioribus fuit habitatoribus frequentata, ut praetereuntes exclament, o domus antiqua, heu, quam diſpari dominare domino. 19) Basilicae ſaltem noſtrae quondam celebritatem habuerunt inſignem, cum non ii modo, qui ſcientias profitebantur, eas incolerent, ſed beneficiarii maxime Regii, in hoc contubernio ſuauiſſimo uerſarentur, quorum diligentiam mutua inflammauit aemulatio, et Magiſtrorum, qui Reperentes nuncupabantur, gubernatio aluit. 20) Quae tempora quo redeant, et uirtus

19) Haec e fontibus Ciceronis transferre placuit, eximie tradita de offic. I. 39

20) Plura ſunt, ſingulari proſecto prudentia a Maioribus inſtituta, quae quoties lego, lego autem ſaeppiſſime maxima cum iucunditate, toties mirari deſino, quare tandem a priſca doctrina ac uirtute longius diſcedamus. Manebo in hoc uno, quod e. 4. conſtitutionis de Regiis, beneficiariis imperatur. *Weil die Stipendiaten unterſchiedliche, und ungleiche leſſiones publicas taeglich hoeren, haben wir dieſe Verſe-*

virtus prisca reuiuiscat, ueteribus institutis, ordo dirigendus uideatur, belli confusione perturbatus, ac defuetudine obsoletus. Namque multa, a Maioribus sapientissime tradita, fuerant prius defuesacta, quam Saxonia tam tristicibus belli casibus affligeretur. Etenim, sicut res omnes humane perpetuis uicissitudinibus agitantur, nihil ut stabile fixumque permaneat, sic hominum congregationes tanto commutantur celerius, quanto pluribus e membris constantur, quanto mobiliores sunt mortalium uoluntates. Res publica quidem moritur nunquam, quamuis priores decedant partes, accedant aliae, fluminis instar, cuius nomen pro-

Versetzung geben, daß in jedem Stipendio 8 Magistri repetentes aus den Stipendiaten selbst, so mit Geschicklichkeit und züchtigem Wandel die andern übertreffen, verordnet, welche alle lectiones mit den andern Stipendiaten, auf gewisse und bestimmte Zeit, repetiren, und also taeglich erkundigen, mit was Fleiß Sie die publicas lectiones horren, was Sie darinnen mercken, behalten, und welchergestalt Sie taeglich alle zumahl, und ein jeder insonderheit in seinen Studiis zunehmen. Quantos fructus uel hoc unum ferret institutum. Negligentia lectionum coereretur, augetur attentio ad doctoris disciplinam, repetitio, parens alma studiorum, percepta firmaret, quotidiana in literis spatia proferrentur. Nolo plura, necessaria quidem, sed parum grata

D

propagatur idem, aqua transfusa, corporis instar naturalis, quod, particulis paulatim commutatis, idem non definit esse, forma relicta. At enim spiritus persistat necesse est, siue civilis uitae coniunctio plena, quam leges consuetudinesque constituunt, imperium regit summum, spiritus ille salutaris ac uitalis, quem tot millia trahunt. ²¹⁾ Sic moribus antiquis stat res Romana floretque, sic, illis sublatis, tollitur. Quod non ignorat ille, qui cum Liniuo acriter intendit animum, quae uita, qui mores fuerint, per quos uiros parta auctaque dignitas, quibusque artibus, ut, labente paulatim disciplina, honestum defederit, lapsum magis magisque, iuerit praeceps, donec ad tempora peruentum, quibus nec uitia, nec remedia pati amplius poterint

²¹⁾ Adeas Grotium de Iure belli et pacis II. 9. § 3. uberrima doctrina haec illustrantem. Sed nihil accommodatius illa Senecae de imperio commentatione, de *Clement.* I. 4. Vocat principem uinculum, per quod respublica haereat. Spiritum nominat uitalem, quem tot millia trahant, nihil ipsa per se futura, nisi onus et praeda, si mens illa imperii subtrahatur. Tandem Virgilio de apibus carmen, boni luminis causa, adiecit

Rege incolumi mens omnibus una,
Amisso rupere fidem.

erint homines. 22) O quam latus amoenusque mihi campus aperiretur, Auditores, si mens mea uellet respicere spatium praeteriti temporis, quo Lutherus sanctiores conformauit literas, Philippus caeteras artes scientiasque in ordinem redegit, 23) si Virum memoriam recolare uel-

D 2 lem,

22) Ita Lilius in praefatione, maximas rerum gestarum opportunitates complexa, prudentiae magistra, qua tractanda historia uidetur, si uolumus salubre ac frugiferum illud inde referre

23) Liceat mihi hoc unum, exempli causa, decerpere e lectionibus publicis in ordine Philosophorum, Verordnung beyder Vniuersitaeten p. 407 sequi. Libellorum compendiariorum loco, quibus nunc dispendia magis, quam compendia, afferuntur, ad fontes ipsos artium, quae ad humanitatem pertinent, iuueatus ducebatur, in eloquentia, partitiones Ciceronis oratoriae cum Quintiliano iungebantur, lingua Latina Graecaque e Cicerone, Caesare, Lilio, Demosthene, Thucydide, Herodoto, Homero, comparabatur, poesis e Terentio, Virgilio, Hesiodo. Qua ratione doctrinae conformationeque iuuenes quam maturissime discabant exemplaria Graeca Latinaque diurna uersare manu ac nocturna, iisdem limabant ingenia, ut sensim sensimque in eandem cogitandi subtilitatem se formarent, atque excogitata pure eleganterque dicerent. Nec uero soli hos deseruimus mores, sed Muretus easdem querelas deplorat, dignas, quae hic repetantur. *Me puero, magna cum cura exponebantur in Scholis Institutiones Oratoriae M. Fabii Quintilianiani, accuratissimi admodum et exquisiti Rhetoris, neque quisquam satis bonus dicendi magister habebatur, qui non in illis uel praecepit auditores suos exer-*

cere

lem, qui in easdem studiorum rationes ingressi, Academiae, ad summam laudis gloriam florecenti, maiora compararunt ornamenta, ut ex ea coloniae iuuenum politicorum, per omnem Germaniam, spargerentur. Sed, quam graues simul deplorandae querelae, quod ab hac frugifera liberalis institutionis forma pedetentim defecimus, nescio, qua decepti elegancia, quae, cum grauitate sentiendi, ue-
ram accuratamque, sine labe, doctrinam dispulit, ac libidinem corrumpendi omnia inuexit, quam plurimis religionis capitibus, ac literarum in ludibrium uersis. Hinc

tanta paucitas hominum literate peritorum, ut, munere maioris momenti uacuefacto, uix reperiantur, quibus il-

lud

cere solitus esset. Mutata postea ratio est, cumque, annosis illis, et ipsa uetustate uenerandis arboribus neglectis, succreuiscent inutiles rami, inuentusque, laboris fugitans, insulsos quosdam libellos, et omnium Philosophiae dispendiosa partium compendia, pro pinguibus illis ueterum latifundiis, adamare coepisset, ex illo uidimus omnia in peius ruere, et retro sublapsa referri.

Neque ullum lapsis prope rebus certius remedium est, quam ut uetus illa consuetudo reuocetur, et, expulsis istis nouitiis indoctae arrogantiae magistris, a praeis illis, quos endo coelo, ut ita dicam, merita locarunt, uera et solida eruditio repetatur. Var. Lect. XVIII. 20

lud committi, pro dignitate, possit. Contra ea superiore memoria, quam copiosus dilectus animaduertitur, quo res publica literata, ciuilis, sacra, mirifice splenduit. In arctiores angustias nos adduxit turbida belli tempestas, ac legibus moribusque bonis uim suam non minuit solum, sed etiam penitus infirmauit. Nam solam spectant utilitatem bellatorum, plerorumque consilia, nec nostra demum aetate Systema istud, quod uocant, Conuenientiae, fuit excogitatum callide, sed, Euphemi, Atheniensium ad Camarinos legati, capitali sententia, apud Thucydidem, iam comprobatum, Regi, aut ciuitati, imperium habenti, nihil iniustum, quod uile. 24) Qua quidem astutia, Achilles, in Herois descriptione apud Horatium, 25) ferocia in scenam reuocatur, qui cuncta armis arrogabat, iura sibi negabat nata, hac ipsa, quod semper in ore fuit Marii, Plutarcho teste, in eius uita, 26)

D 3

prae

24) VI. 85. Ἀνδρὶ Τυροίνῳ, ἢ πόλει ἀρχὴν ἔχούσῃ, οὐδὲν ἄλογον, ὃ, τι, ἐνυμφέρον. Orationem legati nunquam sum meditatus, quin Habbesii praeceptorem agnoscerem Thucydidem, Principibus quibusdam adeo grati, propter utilitatis speciem, sed ab honestate remotam.

25) Art Poet. u. 122

26) p. 421. De talibus generis humani flagellis quid iudicandum sit, sapiens

prae armorum strepitu leges exaudiri non possunt, ac tandem prorsus silent. Feritas tamen bellica, atque immanitas eo progredi non potuit, ut omnia iura peruerteret. Hoc, hoc est illud praecipuum opus altioris prouidentiae, unde maxima gloria eminet, atque apparet, quod in maiore sceleratorum multitudine, quam bonorum, leges seruantur nihilo minus, ne summa misceantur imis, ac tota orbis terrarum salus periclitetur. 27) Sanctiones Academicae

non sapiens Hispanus, Alexandri M. imagine, ostendit, de Benefic. I. 13. Aperit originem iniustitiae fastum, qui animos supra humana tollat, gloriae deditus, cuius nec naturam, nec modum sciat. Sic affectus animus quo ruat, grauius explicat. Hic a pueritia latro, gentiumque uastator, tam hostium perniciem, quam amicorum, summum bonum ducit, terrori esse cunctis mortalibus. Quid iudicii fert aequa posteritas. Non ferocissima tantum, sed ignauissima quoque animalia timeri, ob uirus malum, actum infelicem Alexandrum furore aliena deuastandi, et, quod cuique optimum fuerit, eripiendi, immanium ferarum modo, quae plus, quam fames exigat, mordeant. Quis exitus. Idem, qui deiectis in praecipis ponderibus, quibus eundi finis est iacuisse, ep. 94

27) Duo sunt argumenta prouidentiae diuinae, quae uel hostes eius erroris conuicerunt, ab Oleario ornata in libro aureo, *Iesus der wahren Messias* p. 480 sqq. Alterum fortuna multorum sumministrat, cuius causae quo minus in sensus incurrunt, eo manifestius sum-

mum

non tacuerunt omnino, sed, interpellatae non nunquam, firmamentum roburque suum uoce liberiore recuperarunt. Dignissimi profecto, Ciues, estis, quos hic publicis praedicationibus cohonestem. Vix enim temporibus aliis, tantam prudentiam, mores adeo mites compositosque probastis, ne turbae hostium, ad iniurias quaelibet satis acutorum, facultatem daretis, tranquillitatis Vestrae turbandae. Prosequimini, quaeso, redditis iam otis, hanc uirtutem, et, qua mansuetudine belli ferocitatem superastis, eadem pa-

cem

num numen indicant. Qua quidem ratione tantopere excitatur Aristoteles, alioqui Pronoeae in rebus humanis parum amicus, ut ei resistere non possit. Eudem. VII. 14. Satis apparet, ipsi ante oculos Alexandrum Macedonem uersari, qui singulari felicitate, breui, res publicas Graecas libertate priuarat, imperiumque Persicum sub iugum miserat. Hic abditam quandam nim ueneratur, quae tales homines supra humanae prudentiae sortem colloer, ac tot res cogat ad obsequium illis praestandum. Alterum colligitur e colluione malorum, probos homines oppressura, nisi coelestes his supplicias Deus ferret. Nerosse Olearius. *Gewißlich, wenn wir die Menge böser Menschen gegen die weit geringere Zahl sittiger und wohlzogener halten, und dabey die vielen aeußerlichen Ursachen erwegen, welche der Ordnung schaden, so ist die Erhaltung derselben ohne eine dieselbe erhaltende goettliche Macht und Vorsorge sich nicht wohl einzubilden.*



cem ornare pergite, uti in primis his extremis confalatus
mei diebus, quos tranquillitati publicae instauratae, et Pa-
triae Patri optimo ad Saxones feliciter reuertenti, sacros esse
uoluitus, praeclare fecistis, ut intelligant omnes, literas
emollire mores, nec leges usquam diligentius seruari, quam
inter Musas

Graviores difficultates iniiciunt uindiciae Priuilegio-
rum nostrorum, Patres, ab Saxoniae Principibus indulgen-
tissime latorum, ac semel iterumque confirmatorum. 28)
Inde enim a Friderici Ahenobarbi memoria homines lite-
rati, horumque domicilia, studiorum gratia, iura impetra-
runt honestissima, quibus a fece uulgi distinguerentur.
Ceterarum saltem cum Principibus Pontifices, ut literae tam
perfu-

28) Origines eiusmodi priuilegiorum Conringius in Antiquitatibus A-
cademicis ciuili indagauit iudicio, quo Vir Summus excelluit. Iusta
fertur indignatione, ubi, quid imperita conetur audacia, memorat.
Authentica illa, merito celebratissima, in utramque partem agitata,
sic ait. *Iam Friderici I. tempore uidentur multi, studiorum gratia,
patriis laribus relictis, ad illos eruditionis mercatus commigrasse, qui
tamen interim a uilissimis saepe hominibus, qui literatorum ordini,
nescio, quo naturae uitio, solent esse insensu, indignis modis haberen-
tur.* diss. V. p. 142 sqq

per fugium praeberent cultoribus suis, quam praecipuum quoddam ornamentum. At uero semper fuerunt, qui imprudentiae suae conscii, talia doctis hominibus decora eriperent, quorum tamen diligentia fit, ut homines humanitatem ne exuant, atque sordida barbaria, cum scientia uirtutem, cum uirtute felicitatem e medio tollat. Nec uero dignitati doctrinae Saxonia defuit, sed incredibili munificencia perfecit, ut eruditis hominibus liceret in otio, sine turbis, cum non uulgari existimatione, uiuere. Quas quidem opportunitates hostilis uiolentia rapere tentauit, lenior saepe futura, non sine dolore fateamur, necesse est, nisi hominum nostrorum non nulli interdum, bonis his praecipuis moerentes, ipsos concitassent acrius, ut ne acroateriis quidem nostris, quae sanctitas Musarum ab importuna occupatione satis prohibebat, parcerent. Tam uasrae machinationes non sunt in posterum tolerandae, Patres, sed magno animo comprimendae, ut Academiae consulamus auctoritati, neque ipsi commodis nostris per negligentiam, nulla ratione excusandam, officiamus. Nec minore sollicitudine nitendum puto, ne licentia diutius exulter, 013112 commiscendi le-

E

ges

ges, quibus ciuiliū rerum conformatur ordo, faciliusque parantur ad uitam degendam necessaria. Hic permiscuit omnia belli iniustitia, sine dubitatione, summa turpissimaque, qua res numaria non fuit modo iniquissime adulterata, sed etiam ius maiestatis sollicitatum. Quam detestabile hic facinus abdicum lateat, sacerdos quidam Halae Saxonum, Lampenius, ²⁹⁾ data opera monstrauit. In spem tamen uenimus exploratam, fore, ut, quo latius serpit hoc malum, populorumque neruos in negotiando incidit, eo maioribus imperantes summi studiis ei medeantur. ²⁹⁾ Utinam Hi

Illu.

29) In libro, qui inscribitur *die afscheuliche Sünde der Kipper*, cui, non sine fr. etu, coniunxeris Zieglerum de iuribus maiestaticis I. 49. de iure monetae. Prudenter Bodinus VI. de rep. 3. *Rei numariae curatio ciuitatibus tantopere necessaria uidetur, ut sine ea commode consistere non possint. Et quo maior necessitas est, eo magis numerorum deprauationi prospiciendum, cum ea res incredibile afferat uniuersis ac singulis detrimentum.* Nostra uero aetate quid residui fuit in moneta corrumpenda. Imperator Carolus V. ordinar. crimin. art. III. hos tres modos numi adulterandi enumerat. *In dreyerley Weiß wird die Müntz gefalscht. Erstlich, wenn einer betrieglicher Weise eines andern Zeichen dar auf schlaegt. Zum andern wenn einer unrecht Metall darzusetzt. Zum dritten, so einer der Müntz ihre rechte schwere gefaehrlich benimt.* Quos tres modos cum nostra copularint tempora, quanta rerum omnium confusio non potuit non existere

Illustris Ayreri 30) consilia sequerentur, in commentatione, de emendatione legali rei monetariae, in Germania perturbatissimae, proposita, quam praeclare de summa rei publicae ageretur. Nobis hoc unum relictum praesidii est, ut, Numaria ratione rursus constituta, prouideamus, ne cupiditas, e temporum calamitate, quaestum capiendi, uexet innocentes amplius, sed annona carissima, iusta rerum uendendorum uilitate, mitigetur, quae, ad Academiae, apud exteros, commendationem plurimum ualet. Sed huius incrementa quibus tandem molitionibus procurabuntur.

Hic locus est orationis tertius, breuiter a me perstringendus, Auditores. Si Patres muneris administrandi fidem adhibuerint, Si ciues diligentia charitateque responderint, Si duo fulcra huius literarum domicilii, Conuictus Regius, ac beneficia, firmiter steterint, dubitandum non est, quin,

E 2

RE.

30) Confert Vir illustris inter sese Romanorum curam Germanorumque, qua acris integritati consuluerunt. Dat postea consilia salutaria, de illa restituenda, quorum duo tantum deligam. Sensim, suadet, mutationem faciendam quia desperatis malis facilius pedetentim medicina afferatur. Deinde, Iudaeos uult coerceri, quo minus numos commutent peruertantque, sicut adhuc accidit, Iudaeorum dolis contra Christi socios turpiter adhibitis.

RECTO PACIS VSV, haud ita multo post miseria nostra sit amplioris fortunae dux futura. Haec enim sunt illa fundamenta, quibus politis, maiores effecerunt nostri, ut haec sedes artium bonarum fulgeret inter caeteras, sicut luna inter stellas minores

A Patribus postulo speroque partium obeundarum fidem, legati Christi munus secutus, quo in dispensatore bono nihil desideratur amplius, nisi ut fidelis 31) reperitur. Quid in cuiusque sit officio, instituta, sapientissime ordinata, quemlibet nostrum docent, auctis exemplis locupletata, quae in illustri ponunt monumento, doctoris Academici gloriam, assiduitate disciplinae, et scriptorum frugiferorum fama niti. His insistamus uestigiis, Patres, his legibus obtemperemus libentissimis animis, quod providentia nobis locum tribuit, quo nullus facile est honorificentior inter homines literatos, nullus cum publica salute coniunctior. A nobis enim Patria, expergefacienda e no-

Ete

31) 1 Cor. IV. 2 In quo loco, quantum momenti insit, melius intelligit nemo illo, qui Xenophontis oeconomicum contenderit. Hic, quamvis plures dispensatoris percenseat dotes, tamen in fide eius quoque plurimum ponit, propterea, quod illa stimulos admouet acerrimos, ut omnes muneris partes proinde administrentur, ac res officiique ratio monet

ete sua, idoneos expectat ciues, qui Sacris, cum dignitate,
 praefint, qui ius seuerè dicant, qui rectam ualitudinem,
 bonorum huius uitae maximum, tueantur ac releuent, qui
 rationis lumen retineant, sine quo, nostra praesertim me-
 moria, nec Religio oppugnata defendi potest, neque altio-
 ra tentari, qui scientias humanitatis studiis ornent, quo-
 rum neglectio quid quantumque noceat, barbariae, indies
 crescentis, fordes ostendunt. Si quod peccatum ad coelum
 clamitat, iners pigritia est, quae tantam non sustinet per-
 sonam

Sed parum ipsa per se doctoris efficit opera, nisi
 disciplinae suae alumni praesent, quod est a Fabio ³²⁾ exi-
 mie dictum, *Viuu uox alit plenius, praecipueque eius prae-*
ceptoris, quem discipuli, si modo recte sunt instituti, et
amant,

E 3

³²⁾ Instit. Orat. II. 2. *Viuu uocem commendat, quae docentis ore*
prolata, sensus mouet, horumque ministerio in animum suauis in-
fluit. Neque enim fauet illis, qui magistris mutis se dant unice,
atque e librorum lectione proficere uolunt. Hi, iudicio nondum li-
mitato, uera falsis miscent, ac multa minus utilia legunt cum magna
temporis iactura. Nihil uero efficacius ad diligentiam alendam
praecceptoris amore ac reuerentia. Hi motus animi coerebunt ne-
gligentiam, ne doctor ea offendatur, angebunt attentionem, et, quod
praecipue Quintilianus spectat, imitationem iuuabunt. Vix, addit,
dici potest, quanto libentius imitemur eos, quibus saeuimus

amant, et uerentur. Quibus, Ciues Amantissimi, facilius officiiis parebitis, hoc uno seruato, eos, qui animos uestros excolant literis, patrum similes, ac potius iis praestantiores esse. Socrati quidem liuor Atheniensium eam gloriationem magno crimini dedit, sed apud Xenophontem ³³⁾ ille sic causam defendit suam, ut sanus nemo hoc arrogantius iactatum uituperare possit. A parentibus habetis, quod uiuicis, a magistris uestris, quod homines estis. Homines enim, consuetudine Latini sermonis, non sunt, qui figuram humanam prae se ferunt, uerum, qui rationis suae praestantiam sciunt, eaque duce, praeteritis praesentia, praesentibus futura annectunt, praesidia felicitatis suae undique comparantes. Parentes alimenta corpori praebuerunt, nos animos uestros saluberrimis, per omnem uitam, praeceptis, pascimus. Illos uos merito amore prosequimini, multis

magnif-

33) Si quis locus multum habet amoenitatis Socraticae, hic urbanitate ualde recreat in apologia Socratis n. 42. sqq. Vitio uerteratur ipsi, quod iuuenibus persuaderet sibi magis obtemperare, quam parentibus. Quam criminationem, more suo, per inductionem reicit. Cui libentius obsequimur in ualitudine tuenda. Medico, quam parentibus. In concionibus cui credimus facilius. Prudenter suadenti, quam necessarii. Quem creamus imperatorem pluribus suffragiis. Rei militaris peritum, quam patrem fratremque. Nolo plura. Haec enim cupiditatem satis stimulant caetera perlegendi

magnisque beneficiis adducti, quibus fortunas uestras, ab
 ineunte aetate, stabiliuerunt, illos reueremini, ne tot tanta-
 que bona malis compenfetis. Idem munus a uobis expecta-
 mus, qui fundamenta iacimus firmissima futurorum, qui-
 bus publice priuatimque gaudeatis, ornamentorum. Quod si
 charitate in nos flagratis, si iusta nos obseruantia colitis,
 sponte atque ultro scholas celebrabitis nostras, in iisque
 mentem scientia, animos uirtute augebitis. Ecquod enim
 tempus maioris constat, quod praeteruolat celerius, uita
 in Academiis literata. Quam late patet erudicionis cam-
 pus, ut, qui non quotidiana spatia facit, longissime a meta
 abfit. Decurrite igitur strenue ad calcem, ad quam si non
 peruenitis, in secundis tertiisque subsistere honestissimum
 iudicatur. O felicem matrem uestram, natis tam liberali-
 ter educatis. Haec sicut e sedulitate uestrae maxima capi-
 piet gaudia, sicut humanitatis uestrae cultu mirifice exul-
 tabit, sic iterum stirpe sua conualefcet, ut plures procedant
 arbores, ramosque pulcherrimos spargant. Namque uir-
 tutum fama uestrarum longe lateque disseminabitur, et
 gentes familiaeque alliciet, ad subolem nobis suam commit-
 tendam, quo pari ingenii uigore efflorescat. Nos autem,

-non

nec

nec quicquam praetermitteremus, quod adiuuentum Vobis ad rem melius gerendam afferat. Sic animati, primum laborabimus, ut Regius Conuictus, quo munificentiore nulla habet Academia, quem, inter maximas temporum angustias, quantum fuit situm in nobis, tutabamur, ad pristinam liberalitatem reuertatur. Sed nolite, Ciues optimi, uanis aliorum blanditiis credere, qui, magno promissores hiatu, plura uobis adhuc, me fasces tenente, tribui potuisse, comminiscuntur, ad animos uestros, iusto non nunquam mobiliore, alienis fumtibus sibi conciliandos. In tanta difficultate annonae, in summa rerum, quae ad uictum suppedirant, inopia, fieri non potest, ut omnia Pacis subsidia, tempore exiguo, conficiantur. Illud autem in nos recipimus ac spondemus, nihil nobis magis curae cordique fore, benignitatis Regiae, in uos effusae, curatione fideli atque administratione. Quae quidem tanto feliciter succeder in futurum, quod Regis mandata sapientissima, ante bellum hoc atrox concitum, cuncta praeclarissime constituerunt. Quibus si morem gesseritis, quis autem beneficii, magnitudinis tam angustae, non flectatur, Coenaculum uestrum, quem ad modum be-

neficientiae, nunquam satis collaudandae, sic uirtutis ac socie-
 tatis iucundissimae domicilium praebebit. 34) Hoc
 Academiam nouis accessionibus undique locupletabit, ac
 iuuentutem, terrore Martis dissipatam, in gremium nostrum
 redu-

34) Haec munificentiae Principalis sedes et officina fuit armorum, ma-
 ximo cum periculo domiciliorum publicorum, et ualudinarium mi-
 litare sordibus obsitum. Cura uero Experientissimi Langguthii,
 Collegae Honoratissimi, iussu Regis illi praefecti, tanta fuit opera
 purgata, ut iam, me Rectore, festo ritu uiderentur alumni in eam
 reducendi, eleganti carmine ab illo composito, quod memoriae caus-
 sa inscriberetur. Sed paucitas operarum consilium retardauit, nunc
 magna laude perfectum. Veniam mihi dabit Langguthius, Collega
 obseruandus, quod carmen illius, in scio eo, fed, ut spero, non inui-
 to, Orationi meae decus eximium conciliat. Nam concinne breui-
 terque, quid mali pertulerimus, quid recuperarimus boni, quid in po-
 sterum sit expectandum, complectitur

D. O. M. S

Quae Bellona ferox Triclinia mille periclis

Exposuit, foedo polluit atque situ:

Haec seruata tamen, globulis licet usque petira

Igniuomis, uideas, regmine tuta Dei.

Haec, ubi uota diu redierunt oria Pacis,

AVGVSTVSque suis redditus est populis,

Vsibus Alma suis Academia comoda fecit,

Ornatusque ipsis addidit omne genus.

O, aeternae Deus! Pacis dator unice! Pacem

Perpetua nobis, daque, colamus eam!

AVGVSTOS terra nostros! fac, Publica, crescat,

Artibus ingenuis et bene culta, Salus!

Aedi-

reducet. Neque enim doctrina censum semper sequitur,
 bona mente contenta, quam fortuna saepissime premit, quo
 splendidius, superatis omnibus molestiis, exsplendescat.
 Quot Viris, summa iam praeditis gloria, in medio uirtutis
 cursu consistendum fuisset, his nisi conuiuui suam egesta-
 tem expleissent. Nec tacenda mihi, sed publica praedica-
 tione renouanda uirtus est Volframsdorffia ac Mareschal-
 lia, qua pecuniam non in res inanes futilesque profuderunt,
 quarum memoria uel statim deletur, uel euanescit breui,
 sed in conuictum iuuenum, optimis ingeniis praeditorum.
 Qua uoluntate benefica, sicut post decessum genus literatum
 sibi deuincire pergunt, ita nomen eorum celebrabitur, cum
 splendor aliorum, ad ostentationem compositus, in perpe-
 tuis tenebris iacebit. Quibus uero sumtibus Principes Sa-

xoniae

Aedifica nostras urbis Templique ruinas!
 Antiquum repetar, da, Witeberga decus!

A. S. R. cl. c. lxxx. LXIII.

Rektoribus

Ioachimo Samuele Weickhmanno D.

et

Ernesto Martino Chladenio D.

inter fausta pos.

Georgius Augustus Langguth D.

Conuictorii Inspector.

xoniae pepercerunt, ut hanc officinam literarum redderent quam instructissimam. Equidem nunquam uim pecuniae, huic legatam fedi, mecum reputo, quin prouidentiam uenerer diuinam, quae animos hosce, ad altiora ac magnificentiora natos, excitauit ad optime promerendum de hac puriorum sacrorum ac liberalis eruditionis duce, expultrice errorum atque inscientiae. Utinam Deus, auctor humanitatis omnis statorque, uniuersis ac singulis beneficiariis nostris, hos animos largiatur, ut sibi tributa diligentiae praemia collocent ita, ne consilia Principalia unquam deserant. Affirmatione quondam religiosa 35) obstricti grauissime fuerunt, qua promiserunt, magna sanctitate, fore, ut in scientias moresque honestos incumbant diligentissime, quo Saxoniae praesertim in quolibet uitae genere seruiant

F 2

egre-

35) Exstat formula sacramenti c. 3. Constitit Stipendiat. Praeter promissionem expectandi honores in Saxonia, non alio demigrandi, Ephoris reuerentiam praestandi, poenaeque uel exclusionis ex hac societate honestissima patienter ferendi, in haec fuit uerba iurandum. *Er solle und wolle sonst in allewege unsrer Uniuersitact und Stipendii Nutzen und Frommen schaffen, sebaden warnen, und wenden, und alles thun und lassen, das einem frommen, redlichen und fleißigen Studio so geziemet und gebühret, treulich und ungesfahrlich*

egregie, suisque meritis gratiam referant cumulatam. Quamuis, nescio quo casu, huius iuris iurandi religio concepta fuerit intermissa, illius tamen uis cunctos deuincit adhuc, qui haec dona experunt. Quam sapienter, quaeso, est introductum, ne quis in hunc coetum recipiatur, nisi in scholis recte praeparatus, atque natura sua ad scientias, cum fructu discendas, aptus. Quot enim, inuita Minerua, ad haec sacra festinant, eaque temeritate, maximum sibi detrimentum ipsi inferunt. Quanta uirtutis concertatio, in solemnibus explorationibus, quarum laudē ac mercede acrio.

36) Iustae omnino sunt querimoniae de nimia multitudine eorum, qui literis se dant, donbus necessariis haud instructi. Nec spernenda Gesneri monita, paucis multa complexa. *Tempora studiorum contractiora sunt, pauciores singulorum dierum horas impendere hodie moris est, iuniores ueniunt in academias, breuioribus spatiis morantur, magis ad forum quisque suum festinat.* uid. Prooem. primarum linearum isagoges in eruditionem uniuersalem §. 17. Plerisque malis mederi possent illi, quibus in Scholis atque Academiis ingeniorum fuit exploratio commissa. Quanta grauitate Principes Saxoniae immortalis recordationis hoc officium iniungunt l. c. c. 2. *Wir geben diesen ernstlichen Befehl, daß die hiezu Verordneten, bey ihren Pflichten und Gewissen, nicht aus Gunst, in Einnehmung der Stipendiaten handeln, sondern untüchtige hinter sich weisen, welche in dem Examine nicht bestanden, daß jederzeit mit recht qualificirten Personen unsere Stipendia bestellet werden*

acriores diligentiae stimuli admouentur, uituperatione ac metu poenae pigritia in ruborem datur

Habetis, Auditores, in quo RECTVS PACIS VSVS consistat. Quae dilapsa fuerunt, extollantur. Quae bellum dissoluit, legum robore uinciantur. Quae decesserunt, uariis imminuta casibus, reconcinata amplificentur. Equidem hoc sum contentus uno, quod gaudio Pacis, a Deo Pacifero factae, perfrui licuit, ut haec otia, decedens consulatu, Vobis gratularer

Tibi Vero, Vir Illustris, atque Magnifice, Domine, Patrone, Collega, compluribus nominibus sancte obseruande, 37) Tibi hic actus restat, ut RECTVM PACIS VSVM constabilias, quo uulnera a nobis accepta ligentur, penitusque, si Deus concesserit, sanentur. Nec uero nos spes, de uirtutibus Tuis insignibus concepta, fal-

F 3 lere

37) Hic multa animi laetitia conuersa est oratio ad uirum Iurium peritissimum, illustrem, multoque celeberrimum, Dominum, Ernestum Marrinum Chladenium, D. Digesti ueteris Possessorem Publicum ordinarium, Curiae Prouincialis, Consistorii Ecclesiastici, Scabinatus et Facultatis Iuridicae, itemque Iudicii Prouincialis in Marchionatu Lutatae inferioris Assessorem longe meritissimum

lere potest, nondum oblitos, quanta dexteritate, quan-
 ta prouidentia iam olim ad gubernacula Academiae, cun-
 ctis suffragiis, federis, eiusque incolumitati consulue-
 ris sapientissime. Inde felicia capimus omnia, rei opti-
 me gerundae, in Tuisque consiliis, singularem fiduciam
 collocamus. Habes enim hoc, a Parente, memoriae ad-
 huc florentissimae, hereditate pulcherrima, traditum,
 ut Vitembergam, Patriam Tuam germanam, in sinu ocu-
 lisque feras, eiusque utilitatibus, nulla non data opera,
 seruias. Quae studia tanto meliores nanciscentur exi-
 tus, quod diuina iura humanaque excellenter tenes, qui-
 bus salus publica priuataque fundatur, eorumque pru-
 dentem usum, iure ex aequo et bono dicundo confirma-
 matum, promptissime exerces. Itaque, hodierno die, ma-
 ximam percipimus uoluptatem, quod, consentientibus
 Patrum sententiis, rei publicae nostrae regundae dignita-
 tem in Te conferre licet. Quorum ne diutius expecta-
 tionem morer, iam, quod felix, faustum fortunatumque
 Tibi, ac toti huic societati Deus immortalis esse iubeat,
 more

more institutoque Maiorum, precationibus adiunctis religioſiſſimis, inſignia Tibi porrigam Academica

Traditio inſignium.

Cape igitur, Rector Academiae Magnifice, omnes tranquillitatis, maximo Dei beneficio receptae, fructus, iisque colligendis gloriam conſequere ſempiternam. Gaudere praefidiis coeleſtibus, ad uincendas moleſtias laborioſiſſimas, quas Tibi ſurgentis Vitembergae reſtitutio imponet. Auge ſplendidiffimae Gentis Tuae decora, nunquam intermoritura, nouis ornamentis, quae non poteſt gubernatio conſociationis noſtrae, alta mente ſuſcepta, non afferre. Sicut in obſidione urbis huius funeſtiffima, quod etiam nunc gratiſſima recolo mente, nos trepidantes capitis diſcrimine, domum Tuam recepisti, 38) ubi a formidine requieſceremus, ita perſugium Matri Tuae, quae

ſe

38) Refugit animus meminiffe horribilis diei III. Id. Octobr. cIoſcccLX. quo mecum multi Collegarum, Sacerdotum, aliorum cuiuſque ordinis, ingenti multitudine, ſefe domum Chladeniam receperant, cuius conuexitate a globis igneis defenderentur. Dicit non poteſt, quanta comitate Vir humaniſſimus nos exceperit, quo cum facilitate certabat Coniux eheu! morte immatura abrepta, matrona primaria uirtutibus excellentibus, digniſſimaeque memoria perpetua

se totam in. Te conuertit, solatiumque praebe. Sed laetare simul accessionibus eius, quas, Te Rectore, sibi adiunget, ut, quem coetum animorum literatissimorum, belli metu attenuatum, in Tuam fidem recipis, Successori insigniter auctum conferrumque committas. 39) Tandem, beneuolentia Tua erga me, luculentis specimini- bus declarata, me certiore facit, fore, ut preces has ne inuitus audias. Te enim, per cineres Parentis, in Academi- ca aede leniter recubantes, oro atque obtestor, ut hanc nobiscum exaedificandam ornandamque sumas, ne diutius in tenebris fordibusque uersetur, sed ad culmen rursus perducta, sacris faciundis inferuiat. Labores plurimos nobis obiectos ille mitigabit, immo sublatos remouebit, cuius honor, hoc in templo celebratus sanctissime, ad simili- lem posterorum pietatem propagabitur

Postremo, ad solium Tuum uenerabundus accedo,
acter-

39) Quod hic speraui, aliquem iam habuit euentum. Etenim iuuenes non pauci ad nos accesserunt studiorum causa, ut aeraoateria nostra rursus celebrari incipiant. Nec dubitamus, quin e tot malis, quae nostra uidit aetas, erepti, feliciora capiamus incrementa, si nobis auxilia ferantur, publicas aedes priuatasque restituendi, et Conuictus Regii beneficium plenum reddendi

cedo, acterne Deus ac praepotens, et, quamuis e cinere
 sumptus ac puluere sum, Numen Tuum adoro. Gra-
 tias providentiae Tuae maximas persoluo, quod Patriam
 nostram, e bello tam diuturno, atque inter omnia, quae un-
 quam gesta sunt, memorabili, clemens ac propitius seruaasti,
 quod REGEM nostrum Longe Clementissimum saluum
 incolumemque suis reddidisti, cuius aequitate imperii
 diutius regeremur, formidini aliorum Principum longe
 praefenda, quod Iuuentutis Principalis Praecipuum De-
 cus, alteram spem nostram, tutela coelesti protexisti, quod
 Gentem Regiam, per asperam fortunam, splendore clario-
 re illustrasti. Afflixit quidem nos iustitiae tuae seueritas,
 praeter alias urbes, ut postremo nobis nec templa, religio-
 ne consecrata, nec domus, commune refugium, neque
 nox, ad quietem data mortalibus, tuta relinqueretur, quae-
 dam tamen fecit reliqua, e quibus ciuitatis nouae origines
 ducerentur. Equidem, dum tuam, gratiam Tuam praec-
 dicabo, quae mirabili uicissitudine fecit, ut Martis, ad
 summum progredientis, ferocia, hoc semestri sedata, laeto
 pacis nuntio componeretur. Rata sint iudicio tuo, quietis
 nostrae

nostrae auctor benignissime, uota, ante paucos dies, a nobis suscepra. 40) Iunge rursus sissiones nostras, detrimenta accepta meliore sorte compensa, sparsa collige pignora, hostiumque odia, aliorum in nos amore studiisque, cumulate repone. Senectus Regis iuvenile robur imitetur, morbus, ab eo superatus, longioris uitae medicinam praebet, ac sceptri illius lenitas uirgas hostiles in posterum a corporibus nostris amoueat, bona restituat omnia. Merat diuissime fructus tranquillitatis, interuentu suo conciliatae, Heres Saxoniae, Coniugis eius, pluribus maximisque uirtutibus eminentis, spes expleatur, ut in progenie sua imaginem sui, dotes eximias, ac felicitatem manentem contueatur, omnisque Saxonica domus ad eam, quam meretur, qua Maiores eius uiguerunt, magnitudinem euehatur. Administros Regis quoque nobis adiunge, summe rerum Moderator

40) Indicta sunt haec solemnia dissertatione Academica, quae sapientiam Regis in pace faciunda celebrauit, eiusque reditum ad Saxonas faustis fuit omnibus prosecuta. Cum dies festus illuxisset, contulimus nos in aedem academicam, atque, hymnis sacris ibi decantatis, ex ruderibus eius pompam duximus, comitante copia hominum ingenti, ad Acroaterium maius. Ibi, dulcibus modis, Ode canebatur in Pacis beneficium, et Augustum redueem, oratioque recitabatur ab Rectore, quae auditores impellebat ad imitandam pietatem Constantini, orbe pacato comprobata. Qua finita, Patres Civesque Rectorem profecuti domum sunt, die inter laetas acclamationes, iucundissime transacto

rator omnium, quo, sicut totius Patriae florem reuirescentem consiliis suis proponunt, sic Academiae huius prisca praesidia, auita ornamenta, propensa uoluntate iuuent. Semper iis in memoriam reuoca, quod est ab Augusto, Principe Saxoniae, sempiternam uirtutibus suis summis gloriam promerito, mandatum grauissime, ut bona, post repurgata sacra templis scholisque dicata, suscipiantur ac defendantur, ne quid detrahat uel alio, atque fuerit a maioribus institutum, conferatur. 41) Flecte Ordinum Prouincialium facilitatem in ruinas nostras, ut, coniunctis uiri-

bus,

41) Reeret Deus immortalis Augusti I. animum gaudiis coelestibus, cuius tantum beneficentiae literae debent. Quid sanctius, quae uero posteris esse debet cautione illa, qua beneficiorum suorum incolumitati, prospexit in posterum, hanc in sententiam. Zum dritten: Er, unser Präsident, und Ihm zugeordnete Politische Rätthe, sollen besonders, was zu Unterhaltung derer Kirchen und Schulen von Alten gestiftet, und nach beschriebener Christlichen Reformation dazu verordnet, darob und daran seyn, daß solches alles samt derselben anhangenden Gerechtigkeit handgehabet, verteidiget, damit demselben nichts entzogen, oder anders wohin, denn vermoege unserer Verordnung, angewendet werden. vid. Cod. August. P. 2. p. 642. Quam quidem religionis plenam Sanctionem, summa retinere fide Illustrissimum, quo gaudet Academia nostra, Praesidem, tum aliis iudiciis, tum in primis his diebus, quibus haec scribo, maximo cum honorum gaudio ac solatio, commonefactus sum mandato, quo, Optimi Regis nomine, piis, quae sunt et uocantur, causis, cauit, ut, quos reditus belli iniuria retardauit, significarentur, spe non uana, ea nos recepturos, quibus carere, salua Academiae felicitate, non possumus.



bus, nobis subueniant, id secum reputantes, nihil academiis fructuosius ad salutem publicam reperiri, ubi ingenia ciuium ad munera quaelibet formentur, quo conueniant exteri, suasque opes in commune afferant. 42) Fortuna Rectoris nostri, Tuis consiliis freti, conatus, ac Patrum huius sedis literatae labores, quibus sacrorum muniti-
 titem, literarumque nitorem tueri student. Faue docili iuuentae, ut, doctrina moribusque bonis exulta, de omni re publica merita eximia deportet. Amicitiae Proceres inter Europae uinculum denique sic firma, ne uires lapsae exiguis tantum fomentis mitigentur, sed, plene recuperatae, omnis damni illati memoriam ex animis deleant. Quod si uerbum Tuum, sempiternae Deus, perpetuo durat, si Lutheri doctrina nequit interire, haec etiam
 urbs, uocis Tuae ac Lutheri retinens praeceptorum, in omnem perpetuitatem efflorescet

42) Laudibus maximis merito praedicamus Ordinum prolixa studia, nouissimo conuenta, d. IV. Non. Iul. Vittembergae habito, benigne humaniterque significata, Omnes, quod dulce nobis adhibuit solatium, Academiarum momentum ad publicas fortunas perspexerunt, omnes promptum sunt auxilium polliciti, omnes inde in certam nos spem adduxerunt, fore, ut caeteri quoque Ordines hoc exemplo laudabili moueantur, ad Academias tuendas ornandasque, quas belli furor afflixit, impensisque profusis aere alieno obruit



ULB Halle


3


003 770 109



50








B.I.G.

Farbkarte #13

DE
P R E C T O
P A C I S V S V
IN
ACADEMIA RESTITVENDA
O R A T I O S O L E M N I S
H A B I T A
A B M A G I S T R A T V A C A D E M I C O
A. M D C C L X I I I K A L. M A I
C V M A B I R E T
I O A C H. S A M. W E I C K H M A N N
S. S. T H E O L. D O C T O R H V I V S Q V E P R O F E S S O R
P V B L I C V S O R D I N A R I V S S E N A T V S E C C L E S I A S T I C I
A S S E S S O R E T A D O O. S S. P R A E P O S I T V S

M 5

1763



V I T E M B E R G A E
I M P E N S A E T L I T E R I S E P H R A I M G O T T L O B E I C H S F E L D I
A C A D E M I A E T Y P O G R A P H I

30

